Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1265

Quelle:
Copyright:

culi non dampnandi. Hoc igitur veſtre paternitati notifico, quod facta dampnacio non fuit, qualis eſſe ſolebat bereſum expreſſarum, ſed fuit probibicio in ſcolis determinando, legendo uel aliter dogmatizando talia aſſerendi &c. Interim velle ſe pro VI. illis *Articulis*, quos *Petrus* ille non damnandos putabat, reſpondere; id quod et exequitur. Ad annum haec 1276. pertinent, quo *Robertus Kilwarby* e Praed. Ord. ad Sedem *Cantuarien.* evectus ineptias et cavillos ſophiſticos in *Oxonienſi* Academia invaleſcentes reprimendos cenſuit, id, quod eodem tempore in *Pariſina Stephanus Templerius* Ep. agitabat. Eorum Elenchum nos jam alibi indicavimus, et *Antonius a Wood* refert in *Hiſt. Univ. Oxon.* pp. 125. et 27. et in Codicibus *mſs. Angliae* pluries occurrit, ut videre eſt apud Bibliothecarios O. P. T. I. p. 379. in *Roberto*, e quibus elicio etiam lapſum Librarii noſtri, qui pro *Petro Archidiac. Corinth.* ſcribere debebat *Guilelmum de Morbecka Archiep. Corinthienſem* pariter ex O. P. adſumtum. Non viderunt Apologiam noſtram Bibliothecarii illi, cupidi ſcire, quomodo cenſuram ſuam tuitus fuerit *Kilwarbaeus* contra *Morbeckanum*; per eam enim latus doctrinae *Aquinatis* peti rebantur, nec abs re, nam non niſi ſucceſſu temporis in ipſa *Dominicana* Familia doctrina illa in univerſum praevaluit. An *Morbeckani* Epiſtola extet, neſcio. Novit illam, ut videtur, *Guil. Ockamus* O. M. ita enim de *Roberto Dialogor.* L. II. c. 24. *Dicunt quidam, quod damnatio ſua temeraria exiſtebat, eo, quod veritates, ut dicunt, condemnavit, unde et quidam alius Archiepiſcopus ipſum de dicta damnatione acriter reprehendit ſcribens eidem epiſtolam, in qua manifeſte aſſeruit, quod veritates damnauerat.* Extrema Apologiae noſtrae ſunt: *et ideo ſi comitaretur pertinacia, eſſet tanquam erronea reprobanda.*

VII. *fol.* 231. Tractatus Philoſophicotheologicus in calce dictus *Fratris Thome de Gradibus in Formis*, verum τὸ *Thome* ab alia manu reſcriptum eſt, neque inter *Thomae Aquinatis Opuſcula* quidquam ſic inſcriptum reperitur. Ingreſſus eſt ejusmodi: *Dixiſti domine ihesu chriſte dei uirtus et dei ſapientia: Qui elucidant me uitam eternam habebunt. Sed quomodo elucidari queris tu qui uera lux es? An ſecundum hoc elucidari diceris, quod mentibus hominum illuceſcis. propter quod et non elucidari dici potes cum mentibus noſtris occultaris?* Atque hinc ad propoſitum deſcendendo concludit Autor Prooemium: *amore ueritatis inductus contra gradum formarum diſpoſuimus quendam tractatum componere — ipſum in capitula diſtinguentes.* Horum igitur *Pars* I. continet 9. *Pars* II. 13. *Pars* III. 7. Tota controverſia in eo eſt, *an in quolibet Compoſito ponenda ſit una forma ſubſtantialis, an vero plures*, quae quamvis, ut ait Noſter, *directe non pertineat ad fidem catholicam*, multa tamen inde argui poſſunt ad Chriſti paſſionem, ad